



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Cur mulier dicatur filium masculum peperisse? Et mulier peperit filium masculum. Sectio XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

D. Gregor. *lib. 19. Mor. c. 9. Numerus, inquit, supernorum civium infinitus est, & definitus exprimitur, ut qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstratur.* Accedit & non levis ratio, quoniam communis est Theologorum sententia Angelos custodes singulorum hominum esse in infimo ordine: quae admodum docet D. Tho. 1. p. q. 113. ar. 3. unusquisque autem homo siue fidelis, siue infidelis habet suum custodem Angelum, ut auctor est D. Hier. in illud Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* D. Chrys. ho. 60. in Matth. & auctor operis imperfecti (quod tribuitur Chrys.) hom. 40. in Matth. D. Basil. lib. 3. aduersus Eunomium, & in PL. 48. super illa verba: *Dominabuntur eorum recti in matutino:* & hom. 2. de laudibus ieiunij: & D. Isid. li. de summo bono cap. 12. Nec verum videtur dicendum unum, & eundem Angelum successu temporis esse custodem plurium hominum, quam hoc certum non sit, tunc sic conficitur argumentum. Omnes Angeli custodes sunt ex infimo ordine, & tot sunt Angeli custodes, quot sunt homines: cum igitur adhuc supersint octo integri ordines Angelorum, & uniuersae demones, sit ut multo maior sit numerus Angelorum. Quod si nolis admittere tot esse Angelos custodes, quot sunt homines: dicatque eundem Angelum successu temporis multorum hominum curam suscipere, adhuc eadem argumenti vis perleuerat: cum Angeli custodes non egrediantur infimum ordinem, ut est communis sententia, atque ad id supersint reliqui omnes Angelorum ordines demonesque uniuersi.

V. *Non corrumpit tertia praecise Angelorum pars.*

Numerus certus pro incerto usurpatur a Ioanne. Apoc. 8.

His ita constitutis plane dicendum est non corrumpi tertiae praecise parte Angelorum: alioqui omnino demonstratur multo maiore esse numerum hominum, quam Angelorum, ut est perspicuum ex dictis. Nam cum tertia pars, quae caecidit, suppleta sit ex hominibus praedestinatis: non seruetur autem tertia pars omnium hominum, imò nec decima, plane conficeretur, multo plures esse homines, quam Angelos. Ad huc autem locum Ioan. primum respondemus non esse sermonem de Angelis, sed de fidelibus in fine mundi, quorum tertia pars dicitur ab Antichristo seducenda, & tanquam stella de caelo in terram, hoc est, à fide Ecclesiae in errorem trahenda: & quanquam demus ad Angelos posse transferri, respondendum adhuc est tertiam partem non significare tertiam praecise partem Mathematico more, sed magnam partem: hoc enim sensu saepe Ioan. in hoc opere tertiam partem nominat, veluti cum ait c. 8. tertiam partem terrae combustam, tertiam partem arborum concrematam, tertiam partem maris conuersam in sanguinem, tertiam partem creaturarum, quae uiuebant in mari, interiisse, tertiam partem solis obscuratam, itemque tertiam partem lunae, imò & tertiam partem stellarum, ut eandem omnino phrasim in iisdem uerbis liceat agnoscere: quibus omnibus in locis communiter interpretes tertiam partem, non tertiam partem praecise, sed magnam partem interpretatur.

Cur mulier dicatur filium masculinum peperisse?

Et mulier peperit filium masculinum.

SECTIO XIII.

I. *Fideles tempore Antichristi. Gens masculina. And. Cas.*

Filium masculinum appellat Ioan. hoc loco fideles eius temporis: quoniam, qui illis temporibus difficillimis fidem, iustitiamque retinuerint, fortissimi erunt, & gens uere masculina appellari merito poterunt. Vnde And. Cas. in comment. Apocal. *Masculus, inquit, filius Ecclesiae est populus uoluptatibus indomitus. Quare cum Ecclesia eo tempore multo seiusmodi debeat parere, & educare filios: merito uisa est filium masculinum peperisse. Quod autem sequitur: Qui relictus erat Genti in uirga ferrea, non solum ad Christum pertinet, ut plerique uolunt, sed etiam ad electa Ecclesiae membra, quae simul cum Christo regnabunt, iudicabuntque omnes Gentes iudicio aequita.*

æquitatis inflexibili: quod hoc loco per virgam ferream significatur, quemadmodum cap. 2. explicauimus.

Obseruandum est hoc loco optimo iure viros fortes, voluptatēque corporis I. I. aspernātes, stabilesque in fide, & iustitiā appellari Gentē masculā: quia voluptuarij homines, corporisque delictis seruiētēs, & in vniuersum, qui se facile à dæmone vinci patiuntur, fæminæ potius, quàm viri celsendi sunt. Vnde Pharaō Rex Ægypti volens Hebræorum populū penitus extinguere, præcepit obstetricibus, vt mares Hebræorum occiderēt: fæminas tantum reseruarent. *Quando, inquit, obstetricabitis Hebræas, & partus tempus admerit, si masculus fuerit, interficite: si fæmina, reseruate.* Id quod spiritualiter expendens Orig. hom. 2. Exod. sic ait: Rex Ægypti, hoc est, Princeps huius mundi viuificari mares nō vult: sed fæminas: in fæminis enim caro, & affectus carnis exprimitur: vir autem est sensus rationalis, qui cælestia sapit: hunc odit Pharaō, cum necari cupit: vult enim, vt omnes carnalia sapiant: inde est quod in hoc mundo serui Dei despectui habentur, & in eos perfectiones excitātur, quia odit eos Pharaō. Obseruat etiam Orig. quod mares Hebræorum adhuc infantes rapiēbantur, & proiciebantur in flumen: quia nimirum dæmones natiuitati fidelium insidiantur, & vbi primum per baptismum regenerantur, imminet eis tentatio, & persecutio. Eandē ob causam in populo numerando masculorū tantum ratio habita est: imo eorū, qui vigesimū annum expleuerant, quo tempore vires potissimum vigent. *Tollite, inquit Dominus, summam vniuersæ congregationis filiorū Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quicquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium ex Israel.* In quem locū idem Orig. ho. 1. in Num. obseruauit ex præcepto Dei, neque mulieres numerari fæminæ infirmitatis obstaculo, neque seruos, vtpotē vita, moribusque degeneres, neque aliquem Ægyptiorum ex iis, qui simul cum Hebræis descenderant, vtpotē alienigenas, & barbaros: sed solos Israelitas, eosque nō omnes, sed à viginti annis, & supra. Itaque significari, donec alicui nostrū inest vel puerilis, & lubricus sensus, vel Ægyptiorū barbari mores, vel fæminea, & resoluta segnities nō mereri, vt in sancto, & cōsecrato numero locum habeat: quod enim Deus Sāctos præcipuē numeret, ostendit locus ille Psal. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnia eius nomina vocat.* In eandem sententiā hunc ipsum locū Numerorū explicauit Cyr. Alex. li. 4. de spir. & lit. *Reijcitur, inquit, quod est reprobū, molle, & imperfectum, & solū maribus diuiditur terra promissionis: Idē quē li. 3. eiusdem operis multis verbis docet molles appellari fæminas, affertque illud Zach. 5. vbi impietas sub typo fæminæ sedentis in medio amphoræ exprimitur. Quare merito Regius vates adhortatur omnes, vt se viros præbeant illis verbis: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.*

Hæc est igitur ratio, propter quam Ecclesia dicitur parere filiū masculū, j. viros fidei, & iustitiæ robore eximios. Id quod multo ante prædictū fuerat Esai. 66. *Antequā parturiret peperis: antequā veniret partus eius, peperit masculū. Quis audiuit vquam tale? quis vidit hunc simile? Nunquid parturiet terra in die vna; aut parietur Gen: simul, quia parturitis, & peperit sion filios suos? quem locum de celeri conuersione fidelium per Apostolorum prædicationē interpretatur Euf. Cæl. li. 1. hist. Eccl. c. 4. Prædicitur, inquit, hoc loco illud, quod admiratione non solū orbis terrarū est prosequutus, sed etiam ipse Esaias dum narrat, videtur non posse satis admirari, nimirum post Christi crucē intra breuissimū tempus natum populū illum nouum præsignificatū à Prophetis, non in vno aliquo obscuro terræ loco, sed qui sese fuderit toto orbe terrarū, omnēque nationes occupauerit, & tēporis momento in lucem sit editus, cum hora vna quinque hominum millia crediderunt: & vna concione*

Delicium deditur fæminæ.

Exod. 1. 16. Orig.

Fidelium natiuitatis insidiantur dæmonibus.

Masculi tantum cur numerentur ex Domini præcepto. Num. 1. 2. Origen.

Sanctos præcipuē numerat Deus. Psal. 146. 4. Cyrill. Alex. Zach. 1. 5. Fæmina impietatis typus Psal. 6. 14. & 30. 25.

III. Ecclesia filij omnes masculi. Esai. 66. 7. Eufebius.

Conuersionis Gentium celeritas. Act. 4. Act. 2.

prius tria hominum millia fuerunt regenerati: quæ etiam est expositio D. Ambr. in exhortat. ad virgines. *Habet, inquit, filios Ecclesia sine partu dolore. Unde de ea dicitur: Quis audiuit, si parturit terra aie vno: vno die de terra non parturit, sed parturit gratia.*

Quid sit filium mulieris raptum fuisse ad Deum, & ad thronum eius: *Et raptus est filius eius ad thronum eius.*

SECTIO XIII.

I. **S**ignificatur hunc Ecclesiæ filium masculum, hoc est, electos ex draconis faucibus diuina virtute liberandos, & quasi rapiendos, breuissimo videlicet temporis spatio ne à dracone deuorari possint, iuxta illud Mat. 24. *Propter electos breuibus buntur dies illi: rapiendos, inquam, ex tentationibus, persecutionibus, periculisque illius temporis, atque in throno Dei collocandos per visionem beatificam* iuxta illud Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.*

Obseruandū est hoc loco verbū illud, *raptus*, quod significat electos sæpè diem obire, & quasi rapi ante tēpus à natura definitum diuinæ prædestinationis beneficio: quia nimirū præuidet Deus, si diutius vixissent, fuisse peruertendos. Id quod dilertis verbis dicitur Sap. 4. *Iustus autē si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, & paulò post: Placens Deus factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne scitio deciperet animā illius: & paulò inferius: Placita erat Deo animā illius: propter hoc properauit educere illū de medio iniquitatis.* Quo testimonio ad idem confirmandū videtur D. Aug. li. de prædest. Sanctorū c. 14. citatq; D. Cyprianum in li. de mortalitate, vbi sic ait: *Per Salomonē docet Spiritus sanctus, qui Deo placent, maturius istinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur.* *Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius.* Porro aduerte tribus de causis tolli iustos de mundo:

primum propter suam dignitatem, & merita, iuxta illud Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Deinde propter mundi dignitatē, quia nimirum non est dignus tantis habitatoribus. Heb. 11. *Quibus dignus noerat mundus.* Qui locus dupliciter potest exponi: vno modo, vt sit sensus non fuisse mundum dignum, qui tam præclaros viros haberet: altero non reputasse Sanctos mundū dignū suo amore. Quibus, inquit, id est, quorum amore dignus non reputabatur mundus ab ipsis Sanctis iuxta illud Phil. 3. *Omnia arbitror vt sterora, vt Christum lucrifaciam:* & Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* In quem locū D. Bern. serm. in 40. de peregrino, mortuo & crucifixos *Non solum, inquit, mortuum mundo sed crucifixus, quod est ignominiosum genus mortis, ego illi pariter, & ipse mihi: omnia, quæ mundus amat, crux mihi sunt: quæ verò mundus reputat crucem, illi affixus sum, illi adhaereo, illa toto amplector affectu.*

Denique propter eorū securitatē, quia si diutius viuerent, tādē peruerti possent: quemadmodum dicitur loco Sapiētiae citato, & Esai. 57. *Viri misericordia colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiae collectus est iustus.* Quo loco obseruandū est verbum illud, *colliguntur*, quod innuit iustos esse veluti metem maturam, quæ in gloria horrenum colligitur, iuxta illud Matth. 3. *Congregabit triticum suum in horreū.* Id quod etiam innuitur Cant. 5. vbi sponsus ait: *Messum myrrham meam cū aromatis meis: vbi myrrhæ nomine Martyres, pernitētēsq; accipiendi sunt propter myrrhæ amaritudinē: per aromata autem cōfessores, & virgines.* Quod verò additur: *a facie malitiae collectus est iustus*, duo significat: vnū est iustū mori, Deo ita disponente, ne videat futuram malorum vltionem: imò ne Deus iustorum orationibus mitigatus cogatur itam cohibere: hac enim de causa iustū Loth ex vrbe Sodoma prius

VIE
I
Apoc
c. 3

Mat. 24. 22.
Apoc. 3. 21.
Ipsi cur celerrus de medio tollantur.
Sap. 4. 7. 10.
14.
D. August.
Apoc. 3. 4.
Hebr. 11. 38.
Mundus indignus amoris Sanctorum.
Philip. 3. 8.
Galat. 6. 14.
D. Bernard.
Mundana omnia crux Paulo.
Esai. 57. 1.
Iusti maturatione mesum.
Matth. 3. 12.
Cant. 5. 1.